

Nathan commissi sceleris Davidē coargueret, non illi objecit adulterium, sed matrimonium, quod contraxerat cum Bethsabee: *Et uxorem illius accepisti in uxorem tibi.* Cur Deus magis videtur indignari contra matrimonium, quam contra adulterium: præsertim quia tale matrimonium illa ætate nondum erat prohibitum, & illo, videbatur David compensare injuriam, & consulere honorari Bethsabee? Adulteriū fuit actio subdita, & veluti congenita fragilitati, matrimonium fuit actio multum deliberata, & veluti congenita malitiæ: accrevit igitur sceleri gravitas ex lenta deliberatione. Suam ingratitudinē, ut mandaret executioni, Angelus per orium architectatus est: cum verò illam delinearet malitia, caruit respicientia, unico remedio: errores enim malitiæ nascuntur immedicabiles.

*Anglorum ingratitudo fuit maxima.*

28 Satis exploratum, comperitque omnino est, Angelorum ingratitudinem fuisse maximam, tum propter maiora beneficia in ipsos à Deo collata, tum propter lentam deliberationem, qua ex malitia deliquerunt: verum opprobrium ingens hominis reputatur, primum in sublunari mundo ingratum extitisse, cum in suo ortu conditori Deo evaderet simillimus: nam à magnis natalitijs degenerare, etiam ex debilitate, semper ingens dedecus hominis est.

## CAPUT IV.

*Ingratitudo maxima inter homines.*

## §. PRIMUS.

*Inter homines ingratiissimi fuerunt Hebræi.*

29 **A** Primis parentibus & hæreditario ingratitudinem hauserunt ferè omnes posterii: & quidem numini supremo fuerunt adeò pessimè ingrati, ut Deum subiecit pœnitentia formati à se hominis. Quare ob ingratitudinem demolitus est mundus obruens universali aquarum alluvione: nec tã se vera pœna satis fuit, ut ab ingratitudine homines cessarent: nepotes enim Noëmi contra immensitatem Dei conditoris ausi sunt ea petulantia & impudentia, ut cælum ipsum expugnare niterentur. Nec beneficijs, nec supplicijs corrigitur ingratitudo. Confusos igitur suis technis & machinationibus ablegavit Deus dispergens per omnes mundi plagas: nam exilio aptè puniuntur ingrati; est enim exilium pœna, quæ hominis patientiam gravitus vulnerat.

Minatus fuerat Deus mortē Adamo, ne delinqueret, & postquam tãquam ingratus deliquit, exilio multavit: *Ejecitque Adam.* Nam in ingratum sæviori pœna animadvertit qui ablegat, quam qui interficit: pœna enim morte deficit, exilio perennat. Eadem Deo mens fuit erga suum populum, quem proinde hæreditate spoliavit,

*Ingratitudo hæreditaria.*

*Gen. 6.  
Gen. 7.*

*Supplicium in ingratitudinis.  
Gen. 11.*

*Exilium pœna gravissima.  
Gen. 3.*

## INGRATITUDINIS.

liavit, & per orbem dispersit exilem: *Et hæc ait Dominus, & erunt vagi in nationibus.* Verum notando inflictam Judæis hanc pœnam, interroga: si occidens innocentem, mortem subit, justam sui sceleris pœnam, cur Judæi occidentes Christum, non occiduntur? Quia vivere in exilio non minus torquet quàm mori: est enim sic vivere, mors prolixior. Dixit Abrahamo Deus, quando ei præcepit exire de patria: *Quia fecisti rem hæc, benedicam tibi: faciam que te in gentem magnam.* Injuxit eidem ut mactaret filium primogenitum, & eadē promissit. Quid præmium idem pro mactatione filij, atque pro egressu de patria? Idem est de patria egredi, atque de suo sanguine facere victimam? Ita: exilium pœna est, quæ hominem æquè cruciat, atque mactatio: nam exul vitam non ducit vivēs, sed vitam trahit moriens. Adde semper in homine minus malū esse mori, quàm vivere: mors enim malis remediū est, ut cessent: in bonis, præventio est, ne succedant mala.

30 Statuit Deus superare ingratitudinē hominū veluti obstrictus fide Abrahami, obedientia Isaac, & innocentia Jacobi: deligit pro sua hæreditate Hebræos illorū posteros, ut ob beneficia in ipsos collata responderent amoris, quo eosdē prosequi decreverat. Verum hi ad mensuram favorum ingratitudinē nati sunt. A Deo in solitudine defecerunt ad vitulum, in terra promissionis ad idola: tandem Deū

*Ingratitudo Hebræorum.*

ipsum conditorem suum in Calvario patibulum suspendit inter duos latrones. Deum igitur si offensum animadvertimus querulum de Hebræis: cum mors illata Deo Homini fuerit atrocissima, solum queritur se ab illis despectum, & non occisum? *Filios emulsi, & exaltavi, ipsi autem speraverunt me.* Judico despectum inter amantes esse crudeliorem morte: nam mors lædit corpus, despectus amorem, qui residet in anima: mors privat hominem vitæ, despectus honore, qui apud generosos pluris fit vita ipsa. Ex præscripto Eliæ duo viri interfecerunt quadraginta pueros Israelitas: *Egressique sunt duo viri, & laceraverunt ex ijs quadraginta pueros.* Et tamen cohortem militum, qui venerant occisuri prophetā, jubet ipse hospitio & convivio excipere: *Pone panem, & aquam coram eis.* Quid tantus rigor erga pueros, tanta comitas & lenitas erga milites? Milites conabantur auferre vitam armis, pueri honorē despectu: & generosi magis ægrè ferunt despectum, quàm mortem.

31 Non est Deus conquestus de morte sibi illata per Hebræos, sed de despectu: quia ex illorum delicto secuta mors nobis vitæ peperit: *Illorū delicto* (inquit Apostolus) *salvus est gentibus, ut illos emulsetur.* At aspectu illo Hebræi obtinuerunt supplicium, quo per totū orbem ab omnibus despiciuntur: Deus autem plus sentit mala nostra, quàm proprias offensas. Blasphemum contra Deū, simul & persecuto-

*Ijai. 10.  
Contemptus agrorum.*

*4. Reg. 2.  
4. Reg. 6.*

*Despectus graviter moritur. Ad Rom. 11.*

1. Ad Tim. 1.

te Ecclesie se Apostolus æque confessus est: *Blasphemus fui, & persecutus sum Ecclesiam Dei.* Tamen quando apparuit illi Servator Christus, solum exprobravit persecutiones, & nō blasphemias: hoc enim significavit verbis illis: *Cur me persequeris?* Queritur potius Saulum insecutantem, quam blasphemantem? Quia insecutio lædebat homines, Ecclesie membra, blasphemia læciabat directe personam Dei. Sed quæro, cur Deus magis doleat de offensionibus nobis, quam sibi illatis, cum tamen id quod tibi magis proximū est, magis ex natura sua te ipsum pungat? Respōdeo: quia offensæ quæ contra nos sūt, Deum in corde suo quodāmodo lædunt: Deus enim perfecte nos amat: cor amantis magis est ubi amat, quam ubi animat; (siquidē nihil est amare, quā tradere cor) & ideo offensæ, quæ tangit cor, magis vulnerat, & maiorem excitat dolorem.

Tyranni erga innocentes sunt sæviores. Exod. 2.

32 Servitute Pharao premebat in Ægypto populum Hebræū ad eō crudeliter & ignominiose, ut postquā miserimus populus servierat rei publicæ in munis abjectissimis, allequeretur loco præmij interfectionē filiorū, & haberi despicatur ab Ægyptijs. Nam tyranni erga miseros & innocentes se gerunt sæviores. Aspexit Deus eam calamitatem, & dolore commotus voluit populū suum in libertatem asserere: nam Divina clementia portat remedium in aspectu: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & sciens do-*

Clementia divina velocis est. Exod. 3.

lorem ejus, descendit, ut liberem eum. Opem tulit Deus Agar, levamen aquæ putealis, & ait sacer Textus: *Appellavit puteum illum viventis & videntis me.* Quod Agar insignierit puteum illum cognomento Dei viventis, placet: nam Divinum vivere est benefacere, Dei vita est Dei beneficentia. Verū imponere nomē Dei videntis, est mysterium latens, quod tamē prodit ratio plurimæ: siquidem in Deo non est distincta actio figere oculos, & ferre auxilium: ut intelligatur Deum levasse miseriā, sufficit intelligere, quod illam aspexerit. Præceptorem suum Christum oculis usurpant Discipuli ambulantes super aquas, quādo asperā procellā vexati suspicantur illum esse phantasma: *Putaverunt phantasma esse.* Proh quā eximius error Apostolorū! Eos tamen nō dāno, quia notarunt magistrum, cum vidisset discipulos in tantum discrimen adductos, intendisse deferere, absque ulla ope lata: *Volebat præterire.* Non videtur Deus, sed phantasma, qui vidēs alienas calamitates deserit, nullo levamine allato.

Aspexit Das Jolus Jucenrii. Gen. 16.

Marc. 16

Servitus non facile tollitur.

Exod. 8.

33 Cæterum non erat satis Moyse ad liberandum populum, tamquam Dei minister? Ad quid descendit Deus, ut illi assistat? Non suppetūt humanæ vires pro tollenda servitute, nisi Deus conatum adhibeat pro asserenda libertate. Vidit Deus populū afflictū dolorem, & descendit: *Sciens afflictionem ejus, descendit.* Hoc enim documento nobis insinuat defectum

Hebræi ingratis sumi.

Principis clementia.

Exod. 3.

Principis ad seque resum de his atēdere conserendo beneficia.

Joan. 5.

defectum nostri doloris Deum tollere, dolorem ex respicientia eundē trahere: si dolemus, venit ad nos: si nō dolemus, nos deserit. Hic igitur adventus fuit eximius Dei favor: populi autē liberati gratitudo pro illo fuit multiplicatus questus de libertate, & iterata murmuratio de Deo: nam inter omnes mortales fuere ingrattissimi Hebræi. 34 Verū erga illos perverfos Deus se gessit ad eō temperatum, & benignum, ut non interruperit cursum prodigiorum ad levandū querulos illos à calamitate; simulque docendum Principes, clementiam solum respicere sublimitatem purpuræ, & angustias miseriæ pro egenis, afflictisque sublevandis. Quando Deus condoluit de laboribus sui populi, dixit Moyse: *Ego sum, qui sum.* Simulque illi injunxit, ut hæc populo diceret. Sed, quid conducit ad libertatem, & remedium afflictū populi, Deum esse eum qui est? Plurimum cōducit, ac refert: sic enim voluit Deus ingratis Hebræis manifestare, quod auxiliū illis allatum nō debebat adscribi ipsorum meritis, sed ipsius sublimi maiestati, quasi tunc Deus in opitulando non alium quā se ipsum attēderet. Non aliter quicūque generosus opem ferens indignis, operatur nō secundum eorum merita, sed secundum id quod debet suæ generositati. Delicta paralytici nō detinuerunt Servatorem Christum, ne illi offerret præsentaneum remedium: *Vis sanus fieri?*

Quia ut aspexit illius miseria, fuit statim veluti compulsus eam levare: nihil enim est quod Divinam clementiam retardet. Servator idem pendenti à cruce latroni bono nō solū delicta omnia condonavit, sed etiam gloriam eadem die assequendam impertijt: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid satis fuit momentum, ut latro assequeretur gloriam, quam per longa sæcula Patriarchæ, & Prophetæ com pararunt? Ita: nam erga hos se gessit Deus justum, conferens eis præmium secundū merita: erga probum latronem se exhibuit clemētem: & Divina clementia nescit moras: qui enim clementiam moratur, se potius vindicem, quā clemētem gerit. 35 Documenta eadē quæ nobis Deus dedit ex populo suo, Christus præstitit ex suo socio latrone Dima, scilicet asserendo remediū in aspectu, & allatū veniam in manibus, & fertur de Verbo Divino descendisse ad nos patibus giganteis. Et de Spiritu Sæcto venisse allatum celeri volatu instar columbæ: nam qui adhibet remedium, vel confert munera, debet instar gigantis movere gressum velociter, aut instar columbæ volantis vix commovere alas præ celeritate. Quatuor illa mystica animalia, quæ volatilia in favore Ecclesie vidit Ezechiel, habebant quatuor manus, quibus inhærerant quatuor alæ; ut significarēt manus pro ferēda ope addictas debere volate, ad remedium. Moram trium dierum traxit Christus ad opitulandum

Luc. 23. beneficia non differenda.

Clementia divina velocis.

Remedium velociter adhibendum est. Psal. 118.

Matth. 1.

Ezech. 1.

Lazaro: ex quo subintulerūt sorores defectum amoris: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Qui opem differt, desiderium prodit succurrendi voluntatem: nam quidquid differtur, praesumitur effectu cariturum: & ideo remedium tardum desinit remedium esse.

36 Assertum in libertatem populum, Moysē & Aarone gubernatoribus, Deus ea providētia ducebat in terram promissionis, ut deposita omni sollicitudine erga se ipsū posset incedere, cum omnis omnino de illo cura penes Deum foret. Verūm populus, cum esset ingratus, ideoque omni favore indignus, Divinam protectionem diffusus est, & timuit Pharaonem rubri maris littoribus in sequentem. Rebelis igitur contra Moysen, talem libertatem conquisitus est, & vehementer appetit Aegyptiacam servitutē, veritus mori in solitudine absque sepultura. *Recede a nobis* (dicebat Moysi) *ut serviamus Aegyptijs; multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine: forsitan non erant sepulturae in Aegypto?*

37 Ingrata querela, infamis metus, desiderium vile. Ingrata (inquam) querela: nam populus in Aegypto erat servus tyrannice à Pharaone vexatus: in deserto erat liber, Dei favoribus auctus, & protectus: queritur tamē ad dissimulandum, vel obtegendum debitum, ex quo ingratus semper est querulus. Infamis metus: nam à Deo protectus formi-

dat in solitudine Pharaonem, quē viderat in Aegypto tot supplicij, & calamitatibus attritum, Moysē ipso puniēte. Deliria tamen meticulosi animum despōdētis sunt maxima: pavidus enim quasi impos sui nescit quid loquitur, & quid operatur. Desiderium vile: quia maluit sepeliri in servitute Pharaonis, quam vivere obstrictus Deo ob acceptam libertatem. Nulla vilior & abjectior sepultura est, quam probrosa servitus: in hac enim honor simul cum vita tumulatur: est igitur sepultura maximē decora, mori pro tuenda libertate: siquidem in illa vita simul & honor aeternitati consecrantur. Josephi fratres dixerunt: *Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod queris, moriatur.* Oeconomus autem Josephi sententiam, quā contra se tulerant fratres, ratam habens, dixit: *Fiat juxta vestram sententiam, apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus.* Dixerant fratres latronem moriturū, & Oeconomus juxta eorum sententiam dicit victurum tamquam servū: quia revera idem est servire absque libertate, ac mori cū de decore. Christum appellavit *Inter mortuos liber.* Videtur cogno- nentum fore magis ad rem si cognominaret liberū inter captivos, cum libertas captivitati opponatur. Non tamē abs re locutus fuit David: nam vocare liberum inter mortuos, perinde est ac vocare liberum inter captivos: mors enim & captivitas solo discre-

discrepant nomine, non effectu. Subacta per Assyrios Pentapoli, ejus incolae vixerunt sub ditione Chodorlahomor duodecim annis, quousque impatientes servitutis, excutientes jugum desecerunt à tyranno: cum mallet eū experiri hostem, quam sustinere dominum. Rex igitur coactis militibus, exercituque comparato, omnes Pentapoleos civitates evertit, delevitque viros una cum foeminis, nullo habito aetatis, sexusve discrimine. Cur pauci, longēque minoribus pollentes viribus, cum indubitata praevident mortem, generosi aspirant ad libertatem? Quia plures fecerunt mortem cum honore, quam servitutem cum vita.

38 Hebraeus populus diffidentia posteritatis degeneravit ab Abrahamo, qui novit credere in spem. In maiores adductus angustias David canebar: *Si ambulam in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine.* Jobus: *Etiā, si occiderit me, in ipso sperabo.* Ilaias revocabat in memoriam populo omnem suā fortitudinem stare in silentio, & spē: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Populus autem hac opportunitate convertit silentiū in querimoniam, & spem in timorem: nā timor & querela convictum habēt, sedemque fixam in ingrato: timet, quia fraudulentus: queritur, quia avidus obliviscendi beneficium. Maximū Divinae Omnipotentiae pignus avertit spes fixa in Deo: nam qui sperat, confidens autem meretur favorem,

& favor merenti non deficit Divinus. Chanaanā ob fiducia laudata, obtinuit à Christo quidquid exerebat. Spes in Abrahamo detinuit ictum gladij, eique simul contulit meritum sacrificij. Jobus Deo fretus elusit diabolicos ictus: & ideo felicitatem adeptus est, quia sano usus consilio ad scopum fiducia collimavit. Virgines fatuæ ideo ad caeleste regnum nō fuere admittunt, quia suam omnem spem in alieno sociarum oleo collocarūt, cum deberent in solius Divinae misericordiae spem erigi: *Date nobis de oleo vestro.* Quandiu paralyticus speravit salutem ab hominibus, ut manifestavit querulus: *Nā habeo hominem; insanabili sua aegritudine solutus non fuit.* Josephus diutius in carcere moram traxit, quia suam spem reposuit in pocillatore Pharaonis: *Memento ut suggeras illi, ut educat me de carcere isto.* Dimas non diu in cruce moratus est, quia omnem salutis suae spem in Christi Servatoris opem contulit: *Memento mei Domine.* In Evangelio praecipit Dominus servis ut expectarent: *Similis hominibus expectantibus.* Et statim dixit beatus: *Beati servi illi, quod prudenter ac benè sperarent: quia in hac vita nulla potior felicitas est, quam scire, & benè sperare: sed qui parum agnoscit, sperare nescit.*

## §. SECUNDUS.

*Manusuetudo Moysis cum ingratitude sui populi.*

39 Tulit Moyses patienter

queri-

Math. 13.

Gen. 22.

Math. 20.

Job. 5.

Gen. 40. Spes felicitatis.

Luc. 23.

Luc. 12.

Ab Rem. 11. Malum homo vincens genus vitiorum est.

querimoniam populi, efflagitavitque à Deo remedium: nam generosum cor superat ingrati- tudinem beneficijs. Suadebat Ap- postolus Romanis, nè se à malo superari sinerent, sed potius ma- lum bono superarent. Nulla e- nim contra malum aliquem vi- ctoria gloriosior est, quam illum se bono superare: nam consequi victoriam reddendo bonum pro malo, victoriæ genus est solius Dei peculiare. Dixit Jacob ad fratrem suum Esau in cinere ob- vium, cum sibi visum Deo assi- milari: *Quasi viderim vultum Dei.* Ex quo deprehendit Jacob talè sui fratris cù Deo similitudinè? Quia Esau comiter & benignè exceperat ipsum Jacobum, à quo per fraudem benedictione, & ma- ioratu fuerat spoliatus. In Tha- bore partem modicam gloriæ obsecravit Petrus: *Bonum est nos hic esse.* Et præter repulsam, quam passus est, obtinuit nomen nesci- entis: *Nesciens quid diceret.* Ec- tra Dimas in Calvario flagitavit paradisum, & statim voti còpos fuit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Cur discrimen hoc? Quia in Cal- vario se voluit Christus exhibere Deum. Blasphemis convitijs latro Christum laceraverat: *Blas- phemabāt eum,* protulit de utroque latrone facer Texus: & Chris- tus divinitatis suæ specimen manifestius exhibere non potuit, quam superare beneficijs latro- nem blasphemantem.

40 Erat Moyses Princeps à Deo electus ad opitulandum po- pulo, mansuetus & clemens: his

Gen. 11.  
Divini-  
tatis ar-  
gumentū  
est cle-  
mentia.

Luc. 9.

Luc. 18.

Marc.  
15.

Māfue-  
tudo &  
clemen-  
tia animi  
debent.

enim virtutibus ornari debent, quos Deus eligit ad ferendam o- pem. Mansuetudo dominatur passioni, frangatque impetū vin- dictæ: virtus est, humanæ naturæ modum pacificum consequens, qua ornatus Rex primus orbem ingressus est. Tela ex qua pa- renti Adamo prima vestis facta est, perhibetur ovina pellis: ma- nifesto documento plurimū re- ferre, ut deposita severitate, mā- suetudinem induat, quicumque Rex vellet orbem leniter & aptè temperare. Discipulis se Chris- tus mitem commendavit, ut suā illis legem suaderet: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum.* Quia nulla lex est tole- rabilis sub Principe immodicè severo, nec lex immodicè severa sub Principe mansueti. Suavis indoles Principis reddit omnem legem suavem.

Retulit Philippus Nathanaeli prodigia & miracula, quæ ede- bat Christus: hæsit dubius Na- thanael, an ille esset verus Mes- sias, siquidè ferebatur illius patri Nazareth, ex qua vir eximijis dotibus insignitus prodire ne- quibat: quasi dotes & virtutes natali solo forent addictæ. Verū ubi expertus est Dominum mi- tem, ex eo quòd conniveret patriæ se ipsum despicienti, & prop- riam injuriam dissimularet, sta- tim confessus est illum Dei filium, & Regem legitimum Israël: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israël.* Leo- ni in exlo victoria adscripta est: *Vicit leo.* Agno tamen qui stabat in throno, coronæ oblata sunt; quamvis

Gen. 1.

Math.  
11.

Natale  
solum  
non sig-  
nificat.

Joan. 1.  
Apoc.  
5.

quamvis enim leo vincat, agnus dominatur, non quidem ex ro- bore, sed ex mansuetudine.

41 Clementia virtus adeò no- bilis est, ut ex illa Principis ma- jestas innotescat; est virtus adeò sublimis, ut qui parcit, se exhi- beat innocentem in se, & erga alios humanum: in se, plusquam alios sine culpa; erga alios, homi- nem cum misericordia; & cum clementia præstet id quod homi- nes plures faciunt, virtus est, quæ plus sublimat Principes. Ejicit demones ab humanis corporibus Christus, & Pharisei hanc potes- tatem diabolo adscribunt: *In no- mine Beelzebub principe demonio- rum ejicit demonia.* Condonat idem Dominus peccata paralytico, & hanc potestatem adscribit Deo: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Si utraque potestas Di- vina est, utpote quæ in solū ca- dat Deum, cur miraculum exci- piunt blasphemij: *In nomine Beel- zebub;* & condonationem lau- dibus: *Magnificabant eum.* Quia in exultatione hominum plus est parcere, quam miracula pa- trare: nam delictorum condona- tio mirificè cõsonat Divinæ con- ditioni, & humano remedio: etiã apud Phariseos idem valet cle- mētē, atque Divinū esse. Misericordes appellavit Christus bea- tos: *Beati misericordes.* Cur non appellat beatos se veros? Quia li- cet severitas stare possit cum ju- stitia, tamen in se virtus non est, sed effectus duræ indolis, quæ nõ meretur Divinam benedictionē. Exuperat adeò severitatem cle-

Luc. 11.

Luc. 5.

mentia, ut quando quis parcit clemens, Deum æmulatur: *Quia benignus & misericors est, patiens, & multæ misericordie, & præstabilis super malitia.* Et quando punit im- modicè severus, evertit Dei opi- ficium. Deus hominem fabrica- tus est: imo qui punit immodica severitate, destruens hominem, Dei ipsius effigie destruit: *Creavit Deus hominem ad imaginem suā.* Ex quo nascitur prudentis veni- æ commendabilitas, immodici rigoris abominatio.

### §. TERTIUS.

Clementia Dei cum ingratitude po- puli Israelitici.

42 Obsecrationem Moysis exaudivit Deus, statimque illius votis annuit: nam Divinæ clemē- tiæ ostia semper patent: neque ulla apud Divinum tribunal in causis expediendis cunctatio est. Præcepit Moysi ut elevaret vir- gam, quam illi pro scepro cõtu- lerat; manum deinde extenderet supra mare rubrum: quia ad vir- gæ contactum aquæ in duas par- tes divinx secederet, planūque iter præberet Hebræis sicco vel- tigio transituris, ita ut mare iterū coadunatum posset Pharaonem, & exercitū ejus temerè ingressu- ros obruere. Dictis paruit Moy- ses, & Moysi mare: transivit po- pulus indemnis: Pharaon, exerci- tus, & omnes Aegyptij ad unum aquis obruti periere. Satis mani- festavit Deus populo, virga co- ercendos esse superbos, pariter- que levandos ingratos: Docuit Moysen, quòd pro remedio sub-

Math.  
5.

Joel. 2.  
Gen. 2.

Deum ve-  
ros ad-  
succur-  
rendum,  
Exod.  
14.

Virga de  
primas  
Principes  
superbos,  
& ingra-  
tos ele-  
vat.

ditorum, ipsi loco sceptri virgam contulerat. Animos capiat Princeps in rebus dubijs & arduis: utatur potestate, extendat manū: sic enim subditos remedium, hostes supplicium consequetur: nam pro remedio exhibendo sceptrū in manu Principis prodigiola virga est.

43 Non vulgarem mihi admirationem injicit Deum esse tā clementem erga gentem tam rebellem, & ingratiā: quia parere ingratis, est clementiam perdere. Legimus in sacro Textu ignem Babylonicū refrigerasse pariter innocentes, & combussisse Chaldeos: item aquas diluvij cōtervalle arcam Noemi, & obruisse impios: nam justitia in Deo æquē bonos protegit, ac malos proculcat. Verum si populus rebellis & ingratus non meretur supplicium mirius, quā Pharaō superbus & audax, cur eodem tempore evadit populus sicco vestigio inco-lumis, & perit Pharaō aquis sepultus? Certē ingratitudo non est culpa levior quā audacia: imō gravior per obstrictum, quā per audacem infertur offensa: audaciam decipit præsumptio ad offendendum: ingratiū malitia reddit offensōrē ne solvat debitum: semper autem offensa proficiscens ex malitia maior est. Dico tamen pro objectā difficultatis expeditione & decisione, tam in præmio justorum, & favore ingratorum, quā in supplicio audacium suam justitiam deprompsisse Deum: nam justis sol vit tāquā creditoribus suā omnipo-

Dan. 1.  
Gen. 7.

Audacia Pharaonis.

tertia: ingratis opitulatus est propter suam bonitatem oppignoratam: & Deus de justitia bonus est. Per Malachiam Deus mundo pollicitus est solem justitiæ allaturum sanitatem in alis: *Orietur timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Inalis sanitas velocitatem denotat: verum si hoc est purum beneficium hominibus indebitum, cur Deus, quando se exhibet beneficium, appellatur sol justitiæ? Videbatur magis consonū appellari modo sol misericordiae, & non justitiæ. Aptē dicitur sol justitiæ, quā do affert salutē hominibus: quia de justitia erga homines beneficus est. Commendat David Deū ferentē miseris auxiliū, & ait justitiā Dei ex hoc opere æquandam esse aternitati: *Dispersit, dedit pauperibus, & justitia ejus manet in seculum.* Cur non dicitur quōd ejus liberalitas manens in seculum sæculi æquabitur aternitati, siquidem liberalitatem exercēs locupletavit pauperes? Quia si in Regibus terrenis benefacere est actio liberalitatis, in Rege cælesti est obligatio justitiæ.

Beneficentia Dei ex justitia Malach.

Psal. 111.

#### §. QUARTUS.

*Justitia Dei cum Pharaonis superbia.*

44 Erga infantes Babyloniæ causam suā justificavit Deus, propter quem illi acerbam necem subibant: erga ingratos Hebræos suam extulit clementiam; nam clementia Divina parciat etiam ingratis: & quidem eadem oppor-

Superbia parit culpas caritater venia.

#### INGRATITUDINIS.

opportunitate parcens ingratis, Pharaonē capitali supplicio affecit: nā erga culpas fragilitatis, qualis fuit querimonia, & metus populi ingrati, utitur Deus suā misericordia: erga culpas superbia, suo rigore: quia per superbiam homo ignorat Deum, per fragilitatē agnoscit seipsum: & ideo inter omnes ingratitudines superbia maxima est. Deus factus est homo, ut sua humilitate hominem recuperaret: superbus appetit fieri Deus, ut elatione ipsā Deum offendat: & hi sunt ingrati qui carent veniā: siquidē duplicata malitia duplicatam benefactori suo Deo inferunt injuriam: obli viscūtur beneficia, quæ à Divina manu acceperunt; & sic videtur ignorare notam creaturis omnibus Divinitatem, à qua illi ipsi hauserunt vitam, essentiam, & quidquid habent.

Prædixerat Deus populo suo audaciam Pharaonis, & pro sua gloria supplicium illi infligendum: *Ego autē indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus.* Cū enim superbi se reputent omnipotentes, gloria omnipotentis est, ut ei profrentur tamquam spolia. Magnis B. Virgo ornavit laudibus potētiam Divini brachij: *Fecit potentiam in brachio suo.* Cū vero expectorē causam hujus magnifici encomij reddendam à Virgine fore vel incarnationem Verbi, vel redemptionem hominum, in quibus Deus se exhibuit singulariter potentem, illa pro causa sub-

Exod. 14.

Luc. 2.

juxit destructionē superbiorū: *Dispersit superbos mente cordis sui, de posuit potentes de sede: & meritō: nam superbia quædam depressa est maximum Divinæ potentis encomium.*

In columna nubis, quæ ducebat populum (ait sacer Textus) collocavit Deus thronum suum ad regendū: nam colūna illa Dei regnantis adminitra inserviebat ad protectionē populi, & ad punitionē tyranni: Principes enim regnant felicitate protegendo innocentiā, & domando tyrannidem: supplicium tyrannidis reputavit Deus suam gloriam, & in protectione populi collocavit suum thronum.

Ecc. 14.

45 Obruit Deus Pharaonē undanti pelago tamquam ingratum & superbum; quia cū Dei ipsius munere evaderet incolomis à plagis Ægypti, in deserto se voluit potentiorē Deo ostentare: & quidem ingratorum ac superbiorū in mundo nec cineres debēt superesse. De Nabucodonosore (quem sua repræsentabat statua) dixit sacer Textus innuēs illius cineres: *Nullus locus indētus est eis.* Fuit enim adeo tumidus, ut propriam manū fragile existimavit omnipotentem, & Dei manum omnipotentem crediderit fragilem: *Et quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea? Et spectat veluti ad politicam statum Divini rationem coercere, ac deprimere elatos; cū superbia etiam contra Deum audeat. Connivebat Deus Benedamo Regi Syriæ in delictis idolatriæ, & permisit*

Superbus cum exitu ingratitudo.

Dan. 3.

eum frequenter extitisse victorē sui populi; verum ubi primum se ille appellavit Deum valliū, & dixit Deum Israëlī Deum solū mōtium, statim ut superbus pœnam sustinuit. Quid? nonne culpa maior adorare dæmonem ut Deū, quàm se nuncupare Deum valliū? Aperiam quid sentio: eum se nuncupavit Deum valliū, duplex patravit scelus Benadamus; prius fuit dividere imperiū Divinū, seque Deo in reginē socium adjūgere; & quidem consortium in gubernando nec Deus patitur; orbē enim destrueret, qui Dei imperiū divideret. Posterior scelus fuit contemptus divinitatis, ablata potestate, & titulo immutato; nullus enim maior divinitatis offensōr, quàm illius contemptor. Subito interitu Datan, & Abirō terrā ipsius visceribus sepulti sunt, eō quod cōtempserit Moysen. Caius verō fratricida evadit mortem; & Divina promissione firmatur ad vitā; quid? sic Deus lenis erga Caiū, sic asper & severus erga Datan & Abiron? Ita: referebat Moyses Deum ipsum, imō erat vice-Deus: *Constituente Deum Pharaonis*: & cum foret culpa Deum contemnentis, illam pœna æqualis consequi debuit. Hanc a Deo politicam hausit David, quando ferro flammaque vastavit civitates Regis Ammon, eō quod ipsius Davidis legatos despexerit. Patienter tulit offensorem Saulē, quasi offensōr læderent se privatum: non distulit pœnas sumere ab offensore Ammon, eō

1. Reg. 13.

Imperii socium nemo patitur.

Contemptus prius auge fitur.

Num. 16.

Gen. 4.

Exod. 7.

1. Reg. 12.

quod injuria offenderet regiam maiestatem: & quidem vulnera per contemptum inflicta ita debent curari, ut illorum nō remaneant cicatrices, aut vestigia. Hac ratione punivit Deus Pharaonē, simulque eripuit ab illius manibus populum Hebræum: sed populus fuit adeo rebellis, ut ingratitude æquaret vel æmularetur favores, quasi ingratus in id impudenter propendat, ut suā ingratitude favoribus sibi impensis metiatur.

## CAPUT V.

*Ingratitudo populi fecit illum rebellem.*

## §. PRIMUS.

*Ingratitudo populi æmula Divine clementie.*

46 **P**rodigium Rubri maris satis nō fuit, ut populus ab ingratitude respiceret; nā super amaras aquas illius loci Mara, defecit iterum, & verbis amarulentis detraxit Moysi: *Murmuravit populus contra Moysen.* Ingratorum satis nota conditio est murmurare, ne gratificari cōpellantur; item gentis sceleratæ patefactis alienis defectibus suos tegere. Murmuravit Judas, & murmuravit Pharisæus, quando viderunt Magdalenam ad pedes Servatoris provolutā: Judas tamquā latro, quando illa pedes largiter unxit; Pharisæus tamquam malitiosus, quando illa coniter a Domino fuit admisa. Quia Judas

Clementia divina est in grata ingratis. Exod. 15.

Murmuratio ad legendam proprias culpas. Matth. 16. Luc. 7.

Judas voluit suam cupiditatem occultare, Pharisæus excusare suas culpas murmurando de alienis.

47 Cū verō Moyses ex innata mansuetudine noverit injurias oblivione superare, efflagitavit a Deo remediū pro suo populo. Deus igitur semper pronus ad ferendā opem, præcepit Moysi, ut tangeret aquas quodā ligno, quod illi indigitavit; ad ejus contactum acceperūt aquæ dulcedinem, deposito amarore: *Ostendit ei lignum, quod cū misisset in aquas, in dulcedinem ver se sunt.* Duo cōseō animadversione digna; alterum, quod Deus jussit reddi dulces aquas immeris ligno quodā, & non virga illa Moysis quæ prodigiosa erat: alterum, quod tulerit tam festinam opem genti tam festinantèr querulæ, ac tam properatèr rebeli. Utrique satisfaciā. Voluit Deus aquas dulcedinem capere a ligno, & non a virga, duplici ex causa.

Exod. 15.

Principium potestatis invidiam parit, &amp; odium.

Isai. 9.

Prima, quia cū virga loco sceptri haberetur, nō poterat dulcedinē impertire: sceptrum enim cū suo apte ingenio sint insipida, eā apud omnes conflagent invidiā, ut potius instillare amarorem, quàm dulcedinem præsumantur. Cōperio fuisse præsignificatam crucem Christi in 8. Pagina: *Factus est principatus super humerum ejus.* Et non arundinem, quam per ludibriū manu gestavit: cur maiori plausu crux, quàm arundo excepta, cū utraque Domino fuerit dolori, & improprio? Quidquid alij sentiant, ego iudico discrimen esse, quia ex cruce

sperabant homines aliquid sibi emolumentū; ex arundine utpote scepro nullum sibi promittebant. Secunda: ideo aquæ receperunt dulcedinem a ligno, ut significaret Deus populo ligna, & lapides habere virtutem afferendi remedia, quando populus carebat animo gratificandi pro remedijs acceptis. Nam cor ingratū lapidibus durius est. Quando in Christi funere acerbissimus dolor fregit lapides, Judæi tanto prodigio in id solū impulsī fuerunt, ut pectus quaterent: *Revertentur percutientes pectora sua.* Percutiebāt, sed nō frangebant, quia erat populus ingratus: & cor ingrati, quamvis foris timore quatitur, intus tamen non frangitur vero dolore subactum. Christi morte fracti sunt lapides, & Judas Christo ipso ad suos pedes provoluto magis obduruit, certè durior ipsis lapidibus: quia sortitus fuerat cor a populo ingrato.

Ingratitudo durities.

Luc. 23.

Celeritas Dei in optulando.

Isai. 29.

Cant. 5.

48 Festinum Deus populo suo, etiā ingrato, adhibuit remediū: quia remedij valor & æstimatio consistit in celeritate, amoris decus in paciētia. Dubius hæsit Thomas de Christi resurrectione, & Dominus ut medelam afferret incredulitati, januis clausis cœnaculum ingressus est. Non expectavit moram aperiendi ille idem qui sponsam, sanctā animam quærens pro suo levamine, pulsavit ad ostium, & lentam expectavit apertionem. Qui erga Thomā tā festinus, erga ipsōs cūctabūdus? Ita: quia in Thoma quærebat Christus Apostoli